

ter, licet habeat quemdam modum causæ efficientis respectu formationis, qua actus contritionis in illo instanti formatur, quare contritio ut dispositio ultima, non est elicitiva a gratia habituali, sed ab auxilio; formative autem a gratia habituali. Hæc conclusio colligitur ex D. Thoma quæst. xxviii de veritate, art. viii, ubi propositis duabus sententiis oppositis, quarum una asserbat motum liberi arbitrii absolute præcedere gratiæ infusionem, et consequenter dispositionem, quæ præcedit esse solum attritionem: alia vero sententia in alio extremo asserbat gratiam habitualement absolute præcedere contritionem, et remissionem culpæ, quia in genere causæ efficientis præcedit. Hanc secundam sententiam rejiciens S. Thomas sic inquit: « Si gratia per actum contritionis, et fidei formatæ remissionem culpæ causat, causabit eam per modum causæ efficientis, quod esse non potest: nam causa effective destruens aliquid, prius ponitur in esse, quam hoc quod destruit sit in non esse, non enim, ageret in ejus destructionem quod jam non est. Unde sequeretur quod gratia prius esset in anima quam culpa esset remissa, quod est impossibile. Unde patet quod gratia non per aliquam operationem est causa remissionis culpæ, sed per informationem subjecti, quæ importatur per gratiæ infusionem. » Ita D. Thomas.

XIII. Ex quibus verbis invictum argumentum sumitur pro nostra sententia. Nam si contritio in quantum dispositio ultima est efficienter a gratia habituali, et illa contritio servit ad expellendum peccatum: ergo per aliquam operationem suam, scilicet contritionem a se elicitam gratia est causa remissionis culpæ. Quæ propositio est contradictorie opposita illi quam ponit S. Thomas,

quod gratia non per aliquam operationem est causa remissionis culpæ: et probatio D. Thomæ si aliquid valet, manifeste probat contritionem non esse effective a gratia. Si enim ex eo non potest gratia effective destruere peccatum, quia deberet supponi existentia in ipsa gratia: ergo etiam non poterit effective producere contritionem, quia deberet supponi existentia ipsius gratiæ in anima; quia non minus requiritur esse in causa efficiendi ad destruendam formam contrariam, quam producendam dispositionem propriam: ergo eadem probatione, qua probat D. Thomas remissionem culpæ non posse effective esse a gratia, probatur etiam quod contritio, ut dispositio ultima ad remissionem culpæ non est a gratia effective.

XIV. Eadem sententia colligitur ex doctrina sancti doctoris supra quæstione cxii, art. ii in corpore ubi inquit: « Quod quæcumque præparatio in homine potest esse ex auxilio Dei moventis. » Ubi illa universalis quæcumque etiam ultimam dispositionem comprehendit, et sic procedit ab auxilio. Unde quando dicit in quæstione xxviii de veritate, art. viii ad tertium secundo loco positum, quod contritio secundum quod procedit a libero arbitrio est dispositio ad gratiam simul existens cum gratia, intelligitur quod procedit a libero arbitrio ut moto a Deo juxta hanc doctrinam ex quæstione cxii citata. Redditur autem motum liberum arbitrium per auxilium, et sic ab auxilio procedit ista dispositio.

XV. Denique D. Thomas sæpe proponens illud argumentum, quod si dispositio esset ex gratia sequeretur processus in infinitum, quia iterum illa gratia requireret dispositionem aliquam, ut i p. quæst. lxii, art. ii ad tertium, et 1-2, quæst. cix, art. vi ad tertium, perpetuo respondet

ex hoc non sequi processum in infinitum, quia dispositio non procedit a gratia habituali, sed ab auxilio gratiæ, et ad hoc non requiritur alia dispositio; ergo sentit S. Thomas quod dispositio ultima non procedit effective a gratia habituali. Neque potest intelligi D. Thomas de dispositionibus remotis, et non de proximis ut explicat Vazquez; tum, quia D. Thomas generaliter indiscriminatim loquitur de omnibus; tum, quia expresse ab ista difficultate rejicit dispositiones remotas, et solum agit de proximis, quæ sunt in eodem instanti cum gratia infundenda ut supra diximus. Quare hanc sententiam communiter sequuntur Thomistæ super hunc articulum octavum, Lorca, Curiel, Montefinos Suarez in tertio tomo de gratia. Et sine dubio sequitur eandem Cajetanus hic, dum dicit eandem esse actionem Dei dispositivam, et infusivam gratiæ, et quod actionem illam non solum ut inductivam, sed ut dispositivam sequitur dispositio subjecti.

XVI. Sed restat explicare id quod est valde difficile in D. Thoma, quomodo intelligatur gratia formare contritionem in genere causæ formalis, et non in genere causæ efficientis, si quidem non aliter formatur aliquis actus ab habitu, nisi quatenus imperatur, et producit ab illo effective, sive motive: neque enim habitus potest esse forma intrinseca, sed extrinseca actus imperati, qua ratione explicat S. Thomas charitatem esse formam extrinsecam virtutum secunda secundæ, quæstione xxiii, art. viii. Ergo si illa contritio non procedit a gratia effective, neque eliciendo, neque imperando, quia ad utrumque prærequiritur existentia gratiæ, nullo modo formatur per gratiam in genere causæ formalis extrinsecæ: nam formalis intrinseca, id est, quid-

ditativa, contritionis esse non potest.

XVII. Respondet supponendo charitatem et gratiam nullo modo esse formam intrinsecam contritionis. Unde solum duplici modo potest intelligi quod formetur a charitate et gratia, ut colligitur ex D. Thoma in quæstione quinta de virtutibus, art. iii, præsertim solutione ad decimum octavum et decimum nonum, dicit enim ibi sanctus doctor, quod charitas non est forma intrinseca virtutum, sed ex hoc ipso quod trahit alias virtutes ad suum finem format eas. Addit vero in solutione ad decimum nonum, quod gratia dicitur esse forma virtutum, in quantum dat esse spirituale animæ, ut sit susceptiva virtutum, sed charitas est forma virtutum in quantum informat operationes earum. Quare hæc est differentia inter charitatem, et gratiam, quod charitas format virtutes quasi dirigendo operationes earum in suum finem: gratia autem elevando animam ad esse supernaturale, in quo esse communicant virtutes; sicut accidentia in esse substantiæ. Directio ergo charitatis respectu contritionis, et aliorum actuum virtutum potest intelligi dupliciter: uno modo quasi immediate, et physice per se ipsam eliciendo talem dilectionem, alio modo quasi mediate, et morali modo, quia mediante auxilio supplente vicem charitatis, et ordinante ad eundem finem charitatis, et conjungente actum contritionis cum habitu charitatis, in eodem instanti dicitur illa contritio formari per charitatem, et procedere ab illa quasi mediate, et morali modo, quia mediante auxilio ut vicario habitus charitatis, et supplente vices illius, et simul conjungente actum cum ipsa charitate, quia infunditur in eodem instanti, et manet ille actus ordinatus ad eundem finem charitatis mediante tali auxilio. Ut autem

formetur contritio ab ipso habitu gratiæ, ut distinguitur a charitate, non requiritur directio aliqua, seu imperium aut causalitas effectiva, sed sufficit quod in eodem instanti temporis recipiatur gratia in subiecto, et simul contritio, sic enim conjungitur cum ipso esse gratiæ pro eadem duratione reali, et in hoc consistit ista formatio, quod conjungitur cum ipso esse gratiæ, non quod derivetur effective ab illa, imo istam informationem videtur D. Thomas reducere ad quamdam denominationem moralem, qua ille motus liberi arbitrii continuatur cum gratia, non ad diversam mutationem physicam secundum genus naturæ, ut patet in IV, dist. XVII, quæst. I, art. IV, quæstiuncula II, in fine.

XVIII. Neque obstat si quis dicat quod sequeretur actum virtutis acquisitæ esse meritorium, etiam si non procedat ex aliquo imperio, et motione charitatis solum per concomitantiam in subiecto habente gratiam, quod nos negamus.

XIX. Respondetur non paucos id concedere, ut sequenti quæstione de merito dici solet, sed tamen adhuc est magna disparitas, quia actus virtutis naturalis in illo casu nullo modo dirigitur in finem charitatis, neque immediate, neque mediante auxilio gerente ejus vices, motus autem contritionis in nostro casu dirigitur in finem charitatis ab auxilio gerente vices ipsius, et conjungente actum cum ipsa gratia, et charitate pro eodem instanti.

XX. Ad fundamenta opposita. Ad primum ex philosophia petitum respondetur causas esse quidem ad invicem causas, sed non omnes eodem modo. Nam materia, et forma se ad invicem causant, et finis, et efficiens se ad invicem movent, finis quoad intentionem, efficiens quoad executionem. Sed efficiens, et forma

producta, vel etiam materia circa quam, non ad invicem se causant, quia efficiens supponit existentiam sui ad hoc ut causet; unde non potest causari a forma, quam producit. Contritio ergo, et gratia habent se sicut causa materialis, et formalis, et in hoc sensu ad invicem se causant, sed tamen non est necesse quod ipsa gratia habitualis sit causa efficiens respectu talis contritionis, sic enim esset existens ad causandam illam.

XXI. Instabis: Nam gratia non potest esse causa formalis respectu contritionis, nisi contritio subordinetur ipsi ut forma inferior, et consecuta ad gratiam; ergo debet se habere ut propria passio illius, atque adeo dimanare ab illa ut ab efficiente. Et præterea D. Thomas quæst. XXIX de veritate, art. VIII ad tertium et quartum affirmat quod gratia respectu formationis contritionis se habet in genere causæ efficientis, et contritio est actus secundarius illius; ergo falso dicimus non formari a gratia in genere causæ efficientis.

XXII. Respondetur, quod contritio habet se ut actus elicited, unde non dimanat tamquam propria passio a gratia, sed elicited tamquam operatio, unde formatio ipsius non potest consistere in hoc quod dimanet a gratia tamquam proprietas illius, sed in hoc quod dirigatur ad finem charitatis, et procedat ab illa, vel imperetur, sive id fiat immediate et physice, sive mediate et quasi moraliter, id est, mediante auxilio quod gerit vices ipsius charitatis, et conjungit ei ipsum actum, ut in præsentia. Ad auctoritatem S. Thomæ respondetur, quod illa contritio est actus secundarius gratiæ, et formatio illius est a gratia in genere causæ efficientis mediante auxilio, quod supplet vices charitatis immediate, et elicited a gratia.

XXIII. Ad primum fundamentum theologicum respondetur contritionem esse meritoriam gloriæ, quia formatur a gratia, et charitate in sensu explicato, scilicet per modum causæ formalis (in quo genere præcedit) in quantum conjungitur esse gratiæ in eodem instanti, et in genere causæ efficientis mediate per auxilium substituens loco charitatis, et dirigens ad ejus finem; hoc tamen non sufficit ut talis actus sit meritorius gratiæ a qua formatur, quia gratia est principium talis formationis saltem in genere causæ formalis, unde tale principium non potest cadere sub merito, quia si in tantum ille actus est meritorius in quantum formatus, non potest mereri id a quo habet formationem.

XXIV. Urgebis: Nam S. Thomas articulo septimo præcedenti probat argumento octavo, quod gratia debet prius infundi quam contritio, quia contritio quæ est meritoria procedit ab illa. Respondet autem S. Thomas, quod forma in eodem instanti in quo est, incipit agere, et ita ille motus contritionis in eodem instanti in quo est gratia procedit ab illa; ergo sentit quod a gratia habituali infusa effective est contritio.

XXV. Respondetur, quod S. Thomas non affirmat quod contritio procedit a gratia habituali effective, sed solum quod non sequitur, quod etiam si procedat ab illa, procedat successive, sed in eodem instanti. Et sic respondet ad intentum argumenti, quod non probat successiorem inter gratiam et contritionem, quam intendebat argumentum probare, etiam dato quod ad illa procedat, quia in eodem instanti potest ab illa procedere.

XXVI. Ad confirmationem respondetur nunquam dari contritionem informem, quia semper est conjuncta cum gratia pro eodem in-

stanti reali, et formatur ab ipsa in genere causæ formalis, et dirigitur ad ejus finem, et procedit ab illa saltem mediate per auxilium suppletens vicem charitatis, et conjungens illi.

XXVII. Ad ultimum fundamentum respondetur potuisse Christum Dominum per actiones suas procedentes a personali sanctitate mereri sibi gratiam habitualem, et gloriam, sicut utramque meruit nobis, sed tamen de facto non ita contigit, quia Christus Dominus dispositus est ad gratiam habitualem per actus proprios, qui ex suo objecto, et specie erant supernaturales, utpote propriæ dispositiones gratiæ, unde de se petebant informari ab ipsa gratia, et dirigi ad ejus finem, non alio modo quam in nobis. Unde respiciebant gratiam habitualem, et habitum charitatis tamquam principium a quo petebant formari, non minus quam in nobis. Unde non poterat sub merito talis gratiæ cadere, quia non sic dirigebantur illæ actiones de facto, ut solum formarentur a sanctitate personali, sed etiam a gratia habituali, quia de facto meruit per actus supernaturales ex specie, et objecto suo, qui in sua formatione pendent a gratia habituali.

XXVIII. Poterit hic disputari de forma, et dispositione qua fit remissio peccati venialis, sed quia talis remissio non pertinet ad justificationem, sed supponit illam, ideo non tractatur a D. Thoma hic, sed in tertia parte, quæst. LXXXV, ubi agit de remissione venialium, et nos hanc quæstionem tractavimus in materia de charitate disputatione ultima, ubi videri poterit; ubi etiam disputatum est an peccatum mortale physice expellat gratiam, an demeritorie, quod hic aliqui tractant, sed nos superius jam egimus, et resolvimus, et latius in materia de charitate.